DIE XXIII MARTII

# SANCTI THURIBII DE MOGROVEJO

EPISC. ET CONF.

DUPLEX.

(Omnia de communi Conf. Pont. præter sequent.)

---

ORATIO

Ecclesiam tuam, Domine, beati Thuribii Confessoris tui atque Pontificis continua protectione custodi : ut sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit ; ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum nostrum.

Et fit commem. Feriæ.

*In I. Nocturno Lect.* Fidelis sermo. *de Comm. I. loco.*

*In II. Nocturno.*

LECTIO IV.

Thuribius Alphonsus, ex nobili Mogroveja gente Majorgæ in regno Legionis natus, liberalibus disciplinis et juri canonico Vallisoleti primum, deinde Salmanticæ in majori collegio Ovetensi sancti Salvatoris ita operam dedit, ut tamen potiorem temporis partem orationi aliisque piis et christianis exercitiis

impenderet. Id comprobatum est, cum emissam in ejus cubiculum impudicam mulierem præcipuus virginitatis sectator constanti animo extemplo expulit. Inde jejuniis, vigiliis et proprii corporis castigatione continuo vitam exercuit, et nudis quoque pedibus Compostellam ad sancti Jacobi sepulchrum peregrinatus est.

R. Inveni David.

LECTIO V.

A Gregorio decimo tertio Limanæ ecclesiæ ex quæstore fidei invitus præficitur. Quo in munere apostolicam sollicitudinem in nova christianitate vel solidanda vel amplianda adhibens perfecti præsulis partes explevit. Quare singulis dominicis diebus vel in ecclesia vel in hospitali domo, in parvis etiam oppidulis et subdiu concionabatur plebemque catechismo instruebat. Synodos etiam diœcesanas et provincialia concilia juxta Tridentini statuta habuit, et in eis complura decreta, postea a Sede apostolica confirmata, condita sunt, quibus modo ecclesia Americana regitur. Hinc morum emendatio, cleri disciplina, juvenum seminaria, virginum ac male nuptarum cœnobia, ægrotorum xenodochia, aliæque ædes et templa, ejus etiam sumptu constructa, emanarunt.

R. Posui adjutorium.

LECTIO VI.

Diœcesim suam, amplissimam quidem, incredibili labore totam sæpe visitavit, omnesque pene ecclesiæ suæ proventus in pauperum usus, quos creditores suos vocabat, erogavit, et ingentem fidelium multitudinem sacro chrismate inunxit. Innumeras contradictiones, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis, qui intra, propter Ecclesiæ libertatem. summa patientia sustinens, acriter defendit, martyrii cupidissimus. Tandem sacerdotio et miraculis clarus, quæ etiam post mortem ipsius sanctitatem comprobarunt, dum propriæ diœcesis visitationi incumberet, anno millesimo sexcentesimo sexto, ætatis suæ

sexagesimo octavo, sumpto in ecclesia sacro viatico, ad mortis nuntium exclamans : Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus, die vigesima tertia Martii obdormivit in Domino : quem Innocentius undecimus in beatorum numerum retulit ; deinde novis quampluribus fulgentem signis Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus quarto Idus Decembris anno salutis millesimo septengentesimo vigesimo sexto sanctorum fastis adscripsit.

R. Iste est qui.

*In III. Nocturno Homil. in Evang.* Homo peregre. *de Comm. I. loco.*

*Lect. IX. et commem. Feriæ.*

**Concordat cum originali a S. R. C. approbato.**

*Imprimatur :*

† EDUARDUS CAR. Arch. Marianopolitanus.

Marianopoli, die 6 decembris 1892